


vert.
miles.


16
100





1 De Pollice.
2 Scientia et ignorantia incontinentis
3 De proceſſu actionum moralium principio
4 An Aristoteles cognoverit creationem.
5 De iure quo homini homo in sermone obligatur
6 In perdoctam fl. Iosephi de IESU CHRISTO
7 De iniusto Pontii Pilati Iudicio
8 De Gynaecorata subsidia
De sermone Brutorum
De sterilitate mulierum
De morte in Undis
De Visu palparum
De Nominib. atq. in signib. Lyrinis
De Metallorum transmutatione
De expositione infantum
De philantia.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.









EXERCITATIO MORALIS an 2
DE
PRO ÆRESI
Actionum Moralium Principio

QUAM
DEO ADJUVANTE
Permissu Amplissimi Philosopho-
rum Ordinis in Illustri Julia


PRÆSIDE
M. HENRICO ALTO

publicè tuebitur
JOHANNES Koch AULICENSIS
Autor & Respondens

IN FVLEO MAJORI
Ad diem xi. Aprilis. 3



HELMESTADII,
Excudebat HENNINGUS MULLERUS
ANNO MDCLXIII.





Σὺν τῷ θεῷ

THESIS I.

Quando in præsentī pro modulo ingenij de proæresi agere in animum induximus, videmur non immeritò magnum rei momentum ponendum esse in verbis Philosophi, quæ leguntur lib. iix. cap. 13. Nicom. τῆς ἀρετῆς ἡ τῆ ἡθῶς ἐν τῇ ἀγαθότητι τὸ κύριον. *Virtutis & morum ratio atque vis omnis in proæresi consistit.* Hujus gratia instituta est tota illa doctrina, quæ priori lib. iiii. parte comprehenditur. Postquam enim explicasset spontaneum & invitum, illico de proæresi (sive electione unius per deliberationem cogniti præ altero) agit. Rationem subjungit hanc, quoniam virtuti (utpote quæ est habitus proæreticus, sive ex proæresi agens) maximè conjuncta est, & ex ea mores hominum magis, quam ex ipsis actionibus dijudicantur & æstimantur. Hinc apud viros doctos hæc jam sententia obtinet, ἀγαθότης tantùm esse principium actionum moralium: cui & nostrum calculum libenter addimus, & sic pro eâ stabiliendâ argumentamur.

Ex quocunque maximè æstimantur mores hominum, illud est solum actionum moralium principium.

Atqui ex proæresi maximè æstimantur mores hominum.

Ergo proæresis est solum actionum moralium principium.

II.

Neque obstant illa lib. ii. Nicom. cap. ult. *Verum qui paululum*

A 2

lulum

lulum à perfectione defleat, siue modum aliquantulum superet, siue etiam aliquantulum deserat, non vituperatur, sed is tantum, qui longius, quam par sit, ab eo discedit. Hic enim non latet, neque in obscuro est. Ex his forsitan quis concluderet, ex factis, non proæresi iudicium hominum dependere. Verum ad hoc respondet ipse Phil. l. i. Magn. Moral. cap. 20. Alij namque probum inspicientes, ab actione dijudicant, quod non possint cuiuslibet, quomodo habeat, iudicare propositum. Nam si foret singulorum nosse sententiam, qualis erga honestatem esset, etiam citra actionem probus esse videri potuerat. Animus & *ψαίσεως* videri nequit, ast ipsa facta sensibus subjiciuntur. Quare etiam contingit, ut vulgus plerumque ex factis, quam ex animo mores & actiones hominum dijudicet. Doctus Commentator Aidius respondet, aliud est vulgò aliquid fieri, aliud secundum rei veritatem. Cum dicit Philosophus loco citato solere homines iudicare ex factis, non ex proæresi, affert vulgarem opinionem, nam solent vulgo iudicare homines, propterea quod inquit Philosophus, animus & *ψαίσεως* non cadunt sub sensus, facta verò sub sensus cadunt, & oculis quasi cernuntur. At verò qui secundum rei veritatem dijudicare aliquid velit, non tam in facta, quam in animum & *ψαίσεως* inspicere dicitur, quo quis animo & intentione quid fecerit, ut ipse Aristoteles præclare testatur lib. i. Magn. Moral. cap. ult.

III.

Quemadmodum Philosophus *μεθοδικῶς* progreditur in omni scientia: ita & hic similiter idem ab ipso observari cuiuslibet, qui debitâ cum diligentia eundem evolverit, obscurum esse non potest. Dicit igitur *ψαίσεως*, & quod ex proæresi fit, spontaneum quid esse, sed non omne spontaneum esse *ψαίσεως*, aut *ἐκ ψαίσεως* factum. Nam pueri & animalia bruta spontè quidem, sed non *ἐκ ψαίσεως* agunt. Triplex enim est genus eorum, qui sponte & non ex electione agunt.
Nam

Nam alia ex electione non agunt, quia idonea ad id naturâ minimè sunt, ut bruta: alia, quia licet idonea naturâ sint, nondum tamen ætate eâ præditi sunt, quâ electione uti possunt, ut pueri: alia & idonea quidem sunt naturâ & electionis usum jam habent, sed quia repente ad actionem inducuntur, ex electione minimè agunt, ut qui irâ incitati, priusquam considerent atque eligant, repente ad agendum præcipientes feruntur. Dicere enim solent hujuscemodi homines minimè se ex proposito & electione, sed irâ incitados aliquâve aliâ causâ repente exturbatos quippiam fecisse. Ita Eustratius. Deinde multa, quæ vel subito & ex tempore aguntur, sponte quidem, sed non ex proæresi fiunt. Quapropter cum Aristotele colligimus communius & generalius spontaneum esse, quam illud, quod ex Electione fit.

IV.

Dicis omninò brutis competere $\pi\rho\epsilon\alpha\iota\pi\epsilon\sigma\iota\upsilon$, cum in illis sit certa quædam electio: Eligunt enim, quod iis prodest, & id prosequuntur pleno impetu & vitant, quod illis nocet. Ergo etiam proæresis iis competit. Respondemus: illud, quò ruunt animantia bruta in id, quod illis prodest, non est tam proæresis, quàm naturalis naturæ instinctus. Benè in hanc rem præsenrem loquitur Morisanus Disp. Ethic. disp. 1. de acti. quib. hum. in genere dub. 1. f. 671. In brutis est imperfectum quoddam voluntarium. Sponte enim agunt & ab extrinseco ex cognitione, sed quia illa cognitio est tantum sensitiva & imperfecta, idcirco etiam voluntarium in illis est tantum imperfectum. Ad voluntarium propriè id dici, quod à voluntate, id est appetitu rationali procedit, illa vero tantum habent appetitum sensitivum, quæ valdè impropiè potest dici voluntas.

V.

Neque $\pi\rho\epsilon\alpha\iota\pi\epsilon\sigma\iota\upsilon$ idem est cum cupiditate, aut ira, quoniam cupiditas & ira etiam brutis competunt, quibus $\pi\rho\epsilon\alpha\iota\pi\epsilon\sigma\iota\upsilon$, ut ex præcedentibus patet, tribui nequit: sic & incontinen-

continentes ex cupiditate quidem & ira, sed non ἐκ πρᾶξι πᾶσι ἀ-
gunt: continentes vero contra non ex cupiditate & ira, sed ἐκ
πρᾶξι ἀπέσι agunt. Quod clarius Phil. exprimit lib. 1. Magn.
Moral. cap. 14. *Continens siquidem laudatur, quod sponte conti-
nenter agat. Laudantur autem illa, quæ sponte fiunt. Quod si ex cu-
puditate sponte agitur, quod cupiditati adversatur, invitum erit.
Atqui continens cupiditati adversatur, continenter agens. Conti-
nens ergo præter voluntatem fuerit continens. Verum hoc non vi-
detur. Non ergo id, quod ex cupiditate est, voluntarium est, — In-
continens mala agit, quæ scit ipse esse mala, non ergo sponte sua a-
git, nec voluntas igitur ipsa sponte suscipitur. Deinde cupidi-
tas & ira sæpe proæresi in eodem homine circa eandem rem
& eodem tempore adversatur, Proæresis autem proæresi
non est contraria. Quid? quod cupiditas & ira versentur
circa jucunda & molesta sensibus & phantasiæ, non autem
proæresis. Denique quæ ex irâ fiunt, non fiunt cum ratione
& ex deliberato consilio, quæ autem ex proæresi fiunt, ra-
tionem & deliberationem præviam habent.*

VI.

Neque πρᾶξι ἀπέσι cum voluntate idem est, quamvis vo-
luntati maxime affinis esse videtur. Quia voluntas etiam
eorum est, quæ fieri nequeunt, ut immortalitatis. Tale erat
votum senis querentis apud Virgilium lib. 1 ix. *Æneid.*

O mihi præteritos referat si iuppiter annos.

Talium autem neque deliberatio est, neque πρᾶξι ἀπέσι. De-
inde voluntas etiam eorum est, quæ non sunt in nostra aut
nostrorum potestate, nec à nobis aut nostris effici possunt,
sed ab aliis aguntur, qualia sub deliberationem & proæresin
non cadunt. Quod maximè hîc venit attendendum volun-
tas propriè ultimi & finis est: πρᾶξι ἀπέσι eorum, quæ ad finem
conferunt, mediolorum sive instrumentorum.

VII.

VII.

Neque nobis hic adversatur id, quod moveri solet ex lib. 1. Nicom. cap. 7, ubi dicit Philosophus *alios esse fines, qui expetantur propter se, alios, qui expetantur propter aliud*, quod fieri non potest, si finis non sub proæresin caderet. Quomodo enim possumus unum finem ab alio distingere, unum præ alio eligere, aut expetere, nisi *πεγαίρεσις* etiam pertineret ad finem. Verum facilis est responsio cum notum sit proæresin sumi bifariam, vel *latè* vel *strictè*. *Latè* accepta *πεγαίρεσις* denotat quemlibet actum voluntatis indifferenter, & sic spectat ad finem. *Strictè* vero accipitur pro actu voluntatis tendentis per media certa ad finem. Seu distinguendum hîc esse inter fines ultimos & subordinatos. Proæresis est finis subordinatorum, non quatenus sunt fines, sed quatenus sunt media tendentia ad ultimum finem. Ultimi finis vero proæresis non est, sed certa & determinata voluntas.

IIX.

Cùm jam à nobis dictum fuerit *πεγαίρεσις* voluntatem quidem non esse, attamen maximè affinem eidem, hîc non immeritò quæritur, cujusnam facultatis actus sit *πεγαίρεσις*, an intellectus, an voluntatis? Ad quod respondemus formaliter esse actum voluntatis. Non tamen inficiamur intellectum concurrere. Nihil eligimus, nisi præcedente aliquo actu intellectus, quinimo voluntas dirigitur ab intellectu in eligendo: ex variis enim actibus & ad finem facientibus bonis id, quod commodius, melius, optabilius videtur, præferimus, dimisso altero minus convenienti. Præclare hoc explicuit Thomas 1. 2. quæst. XIIII. ad 1. concl. *Quandocunque duo concurrunt ad aliquid unum constituendum, unum eorum est ut formale respectu alterius, adeoque electio substantialiter (formaliter) non est actus rationis sed voluntatis: perficitur enim electio in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur.* Et
rursus

rurfus alicubi idem Thomas: *Electio complectitur actum intellectus & voluntatis: sed intellectus tantum antecedenter & dispositivè, voluntatis autem essentialiter & completivè.*

IX.

Neque *πραΐσις* idem est cum opinione, quoniam opinio datur de omnibus rebus, etiam necessariis & æternis, deque iis, quæ à nobis fieri nequeunt, imo de iis quoque, quæ nec sunt, nec esse possunt. *Cum enim diametrum, id est dimittentem lineam opinamur nullam habere convenientiam & proportionem, tunc de æternis opinamur: cum, mundos esse infinitos, de iis, quæ fieri nequeunt: cum bonam esse agriculturam, & fortasse ei, nos daturos esse operam opinamur, tunc opinionem habemus de rebus, quæ in nostra potestate sitæ sunt.* Ita Eustratius. Proæresis autem tantum agendorum contingentium & in nostra potestate positivorum est. Ita etiam & hoc accedit, quod opinio in veram & falsam, proæresis autem in bonam & malam dividitur.

X.

Ut propius ad metam accedamus: verum quidem est neminem dicturum, *πραΐσις* cum omni opinione eandem esse: sed nec opinio de rebus honestis & turpibus idem est, quod *πραΐσις*, quoniam ab opinione de honestis & turpibus nemo bonus vel malus dicitur: *non enim, quia opinatur aliquis se bonum, sapientem, justum, doctum aut divitem esse, idem talis quoque est, ut Golius in sua Epitome dicit: sed à proæresi boni vel mali, honesti vel turpis, etiam homo talis dicitur.* Deinceps unum præaltero eligendo res aut consequi, aut fugere, aut tale quid agere intendimus: verum opinando, quid sit res, aut cui, aut quomodo conducatur, expendimus, non adeo rei adeptionem aut fugam spectamus. Opinio propter veritatem laudatur, propter falsitatem vituperatur. Proæresis vero propter bonitatem aut rectitudinem
(quan-

(quando id, quod magis oportet, & quomodo oportet eligere, eligitur) laudatur, propter pravitatem vituperatur. Proæresis est eorum, quæ maxime exploratum habemus, bona esse: Opinio autem eorum est, quæ non omnino nobis nota ac certa sunt. Nec statim optima præ aliis eligunt, qui optimas de honestis opiniones habent, verum nonnulli meliora quidem vident probantque, sed corrupti deteriora eligunt ac sequuntur. Opinio ergo de rebus honestis & proæresis non sunt idem; neque id nunc quæritur an opinio proæresin antecedit, an subsequatur, hoc enim aliis disquisitionis est, sed an *πεγαίρεσις* & opinio quædam idem sint. Fieri enim potest sunt verba laudati commentatoris Eustratii, ut qui iustitiam & fortitudinem bonam esse opinatur, ipse neque iustus neque fortis sit. Non enim opinando sed eligendo virtutes vel vitia acquiruntur: id quod in incontinente manifestum est, qui licet rectè opinetur, malè tamen eligit, vitiosusque ex electione & fit, & dicitur.

XI.

Quoniam igitur neque ira, neque cupiditas, neque voluntas neque opinio sit, quid sit electio indagare conatur Aristoteles, esseque eam spontaneum præconsultatum inquit. Spontaneum enim genus ipsius videtur, præconsultatum differentia: quæ efficit, ut definitio hæc non nisi præditis ratione conveniat. Bruta siquidem sponte quidem agunt, sine ulla consultatione tamen, sed soli appetitioni iræ & cupiditati obsequentia. Simili modo etiam pueri. Quin etiam adulti sæpe quidem repentino quodam impetu ad agendum inducuntur, nullâ adhibitâ consultatione: quorum nihil cum electione fieri dicitur: vide Eustratium. Sit ergo hæc perfecta *πεγαίρεσις* definitio, quod sit spontanea unius, de quo prius deliberatum est, præ altero electio. Sive est appetitus unius in nostra potestate positi præ altero ex deliberatione ortus. Proæresin enim deliberatio per rationem & mentem facta antecedit.

B

Cum

XII.

Cum vero *πεγαίσι* ex antegressa deliberatione fiat, quid deliberatio sit, & de quibus rebus deliberetur videndum est. *Electio* dicit Venerandus beatæ memoriæ Dn. D. Horneus in phil. morali, *est talis actus voluntatis, quem præcessit aliqua deliberatio: Cum enim eligere nihil aliud sit, quam ex iis, quæ ante inter sese contuleris, unum accipere, sive ex multis, quæ consideraris, unum alteri præoptare, illud velle demum erit eligere, quod sit præcedente certa rerum consideratione & disquisitione, ex quibus postea deducit res, quæ eliguntur, esse primò possibilis, secundò tales, ut fieri à nobis possint, tertio media potius quàm fines.* Similiter Morifanus disp. Eth. II. dub. 2. *Consultatio est actus rationis, est enim rationis consultare, deliberare, inquirere, quid sit ad finem assequendum accommodatius, illudque voluntati proponere, hujus consultationis conclusio est iudicium seu sententia, qua iudicamus quod medium omnibus consideratis videatur præferendum, quod iudicium cum sit rationis actus, & terminus ipsius consultationis, an debeat conferri effectus consultationis, an illius pars, est quæstio de nomine, saltim videtur, pertinere ad priorem consultationem in ratione termini, sicut terminus motus ad motum pertinet.*

XIII.

Suscipitur deliberatio (non à stolido aut infano, sed prudente instituta) non de rebus æternis & necessariis, nec iis, quæ necessariæ & æternæ veritatis sunt, aut subscientiam cadunt; ut de mundo, de rebus physicis, aut mathematicis, ut de eo, quod diameter & latus quadrati non possint unam mensuram mensurari: Quò etiam illa spectant, quæ sunt impossibilia & necessario fieri nequeunt, ut factum infectum. Non de iis, quæ quidem in motu sunt, sed semper eodem modo fiunt & moventur sive necessitate sive natura, sive propter aliam aliquam causam, ut de motu syderum

rum

rum & ortu & occasu stellarum, neque de iis, quæ in motu sunt, sed aliter atque aliter fiunt, ut de siccitatibus; ventis, imbribus, tonitruis, neque de iis, quæ casu & fortuito fiunt, ut an velimus thesaurum invenire? Hæc enim omnia aut à necessitate, aut à natura, aut casu & fortuna, non autem à mente, aut alio principio humano interno dependent. Quod enim alio modo esse non potest, necessarium dicitur. Atque hac necessitate stellarum motiones ortus & occasus, nec non solstitia efficiuntur. Fiunt etiam secundum naturam. Quæ enim in cælo sunt, natura sunt, vel potius utroque modo, id est, & necessitate & natura moventur, quippe cum naturæ eorum quæ moventur, moventis providentiam maximum conveniat ac consentiat. Quo etiam fatum videtur esse referendum. Secundum naturam sed inordinatius tamen fiunt, ea quæ non semper eodem modo, sed ut plurimum eveniunt: ut canorum & dentium procreatio, imbres & siccitates, de quibus quoque consultare nullo modo homines possunt. Fortuna autem fiunt, quæ non plerumque, sed raro contingere consueverunt: ut thesaurorum inventiones, atque id genus cætera, de quibus nemo consultat. Non enim ex consultatione invenientur thesauri, sed fortè & casu oblati reperiuntur. Ad hunc modum Eustratius.

XIV.

Erit igitur deliberatio de humanis rebus: neque tamen de omnibus: non scilicet deliberamus de alienis, quæ à nobis effici nequeunt, ut Lacedæmonii non deliberant de Republica Scytarum aut Indorum optimè administranda, non de præteritis & factis, non de jam determinatis & certis, aut secundum certam scientiam, præcepta & regulas efficiendis, ut de literis, quibus nomen *Achillis* scribendum: neque de iis, de quibus incerti & dubii sumus an ad finem pertineant: neque de iis, quæ rarissimè conducunt ad finis adeptionem, sed quæ plerumque, neque de fine, sed de illis, quæ ad finem faciunt: neque de singularibus per sensus manifestis,

B 7

alias



alias enim in infinitum procedetur & vana ac irrita erit de liberatio.

XV.

Deliberamus verò contrà de iis, quæ aliter atque aliter fieri possunt, & quidem de humanis, quæ ab homine effici possunt, quæque ad nos pertinent, & in nostra aut nostrorum potestate sunt, nec semper eodem modo à nobis fiunt, & quæ futura sunt ac facienda, & quæ plerumque usu veniunt, ita tamen, ut eorum eventus & exitus quodammodo incertus & indeterminatus sit, & quæ ad finem consequendum conducunt. Quæcunque fiunt ab una harum causarum illa videntur esse vel à Natura (quò etiam Deus pertinet) vel à Necessitate, vel à Casu & Fortuna, vel à mente humana, & omni eo, quod per hominem agit, sensus, Phantasia, appetitus, voluntas &c.

XVI.

Oritur hîc scrupulus, quomodo dici possit, quod consultatio sit tantùm *de ijs, quæ ad nos pertinent* cùm experientia contrarium testetur. Nam Principum & Magnatum Consilarii deliberant de illis rebus, quæ ad ipsos non spectant, v. g. An leges sint condendæ, an tales leges Reipublicæ sint profuturæ, nec ne; Hæc tamen non spectant ad ipsos, neque sunt in eorum potestate, sed in Principum ac Magnatum suorum. Ita fieri solet, ut Parentes deliberent de rebus liberorum suorum, & amici de rebus amicorum suorum, quæ tamen ad illos propriè non spectant. Cæterum hîc facile eximitur, si modò meminerimus particulam illam *NOS* non tantùm denotare nos in individuo, ut loquuntur, sed omnes illos, qui nos spectant, vel cognationis, vel amicitiae, vel officii ratione. Ita Consilarii Principum dicuntur consultare de rebus ad se pertinentibus, quando consultant de rebus Principum suorum. Res istæ enim ad ipsos spectant
ratio.

ratione officij. Hinc contingit, ut quoties aliquis deliberat de rebus ad se non pertinentibus, ut res illas melius cognoscat, & prudentior fiat, cum hâc conditione consulat, si res eæ ad me spectarent, his utendum putarem mediis. Vide Aidium.

XVII.

In accuratis & exquisitis scientiis deliberationi non est locus, ut in Theoreticis, Grammaticis, Analyticis: in quibusdam autem scientiis practicis & effectivis minus exquisitis deliberationes dantur, ut in Politica, Medica, Rhetorica, Dialectica. Magis tamen in artibus, utpote circa singularia occupatis, quibus magis ambigimus, ut in arte Medica, Rhetorica, Dialectica, in arte comparandæ pecuniæ; in una tamen arte magis, quàm in altera, prout una minus accurata est, quàm altera, ut in arte Nautica magis quàm in Gymnastica, prudentia quoque deliberat. *Non enim si quis melius, dicit Eustratius, multa ingurgitando forte fortuna convalescit, consultare medicus solet, an idem egrotantibus reliquis faciendum præcipiat: sed de iis deliberat, quæ prodesse plerumque consueverunt, an pro occasione & morbo exhiberi alicui debeant, nec ne: eò quod aliquando inciderit, ut nocumentum attulisse videantur. Idem & Gubernator & Orator facit. Nam de iis consultat unusquisque, quæ & plerumque eveniunt, & eventus etiam incertos habent, suntque definita.*

XIIX.

Quibus ad eum modum discussis optimum suggerit Philosophus consiliū, quod in omni deliberatione maxime attendendum esse censemus: nimirum in deliberationibus de rebus arduis & gravibus institutis Consultores unâ adhibere solemus, nobis ipsis diffidentes, quasi minus ad eas res dispiciendas ac dijudicandas idoneis. Atque hoc prudenter fit, modò viri boni, prudentes, resque intelligentes

& nobis amici & benevoli in consilium adhibeantur.

XIX.

Ex dictis colligimus non de finibus, sed de iis, quæ ad fines pertinent, deliberationem institui, idque certo aliquo fine nobis proposito de modo & mediis eum consequendi cogitare & deliberare. Optime in rem præsentem rursus Eustratius. *Constituto prius fine unusquisque, verbi causa, medicus sanitate, mercator lucro, Orator persuasione, athleta coronâ, Imperator victoriâ: postea de eo consultat, quod ad eum consequendum facere posse videatur. Si plura sint, quæ ad unum & eundem finem spectent, considerat, per quod potissimum ex ipsis potiri sine ipso optime valeat: ut Imperator cum victoriam sibi proposuerit, eamque & pedestribus, & nauticis, & equestribus copiis consequi se posse confidat, quærit & consultat, quonam ex his præliis genere superare hostem & facillimè & tutissimè queat. Si autem unius modus tantum appareat, qui vel ex aliis electus fuerit, vel à principio consultationis extiterit, quâ ratione eo uti poterit, ad finem consequendum considerat. Verbi causa, si constiterit, prosperum belli eventum equitatu posse conciliari, is quibus rationibus comparetur, in quæstionem venit: tum ubi pecuniis ad id opus esse cognoverit, de pecuniarum expeditione consultat: ac postremo eò devenit, ut tributum imponendum civibus censeat: atque ita actionem ab eo auspiciatur, quod in contemplatione inventionisque fuerat extremum. Quare ante deliberationem certus finis tanquam scopus constitutus ac præfixus nobis esse debet, ne vaga, incerta & infinita sit consultatio.*

XX.

Dicitur hîc de fine nullam esse consultationem, sed tantum de mediis ad finem ducentibus. His opponitur, quod homines sæpe numero deliberent, utrum nimirum hoc vel illud vitæ genus sequi velint, utrum huic, vel illi arti
vel

vel opificio operum dare debeant, & tamen hæc consulta-
tio est de ipso fine, quoniam hoc aut illud vitæ genus est fi-
nis, quem quisquis sibi proposuit tanquam scopum, ad
quem omnes suas cogitationes animumque dirigit. Ve-
rùm jam ex superioribus manifestum est duplicem esse fi-
nem, *ultimum*, qui per se est expetendus, de quo nulla inci-
dit consultatio, & *subordinatum*, qui ad ultimum finem rela-
tus suscipit rationem medii, quo finis ultimus acquiri & ef-
fici possit, & ita consultatio de hoc aut illo vitæ genere se-
quendo est de fine subordinato, non quatenus est propriè
finis, sed quatenus est medium ducens ad ulteriorem finem,
scilicet ut ista benè honesteque transigatur. *Instas*, homi-
nem propositis pluribus finibus etiam ultimis consultare,
quòd sit anteponendum præ cæteris, & unum præ cæteris e-
ligi. Sed & hoc diluit accuratè Morifanus dicens, *ordinariè
deliberationem institui de mediis, & sic stricte accipi deliberatio-
nem, ut sit tantum de mediis, supposità intentione finis vel saltem
de materia, aut fine materiali, supposita intentione finis forma-
lis seu in genere. In quo casu materia, de qua consultatur, habet
se fere instar mediij respectu finis formalis.*

XXI.

Ipse Philosophus lib. III. Nicom. cap. III, idem do-
cet, quando scribit: *si pluribus modis ac rationibus id, quod
volunt, confici posse videatur, quâ facillimè & optimè confici pos-
sit, inspiciunt. Sin autem una ratione commodè possit absolvi,
quâ via ad illam perveniant, & quâ ad hanc ipsam viam: eò us-
que, dum ad primam causam pervenerint, quæ inventione est ul-
tima.* Atque hæc causa est, quod ultimum in inventione
& deliberatione, sit primum in actione, sicut primum in
deliberatione semper ultimum fit in executione & actio-
ne. Finis autem primum est in intentione deliberan-
tis,

tis, sed ultimum in executione & adeptione agentis.

XXII.

Patet, eos, qui consultant, inquirere ac rem in sua principia resolvere, sicut Mathematici diagrammata sive descriptiones suas in sua principia usque ad prima elementa resolvunt. Utrobique autem id, quod in resolutione est ultimum, in constructione primum est: sicque omnis deliberatio est quidem inquisitio quædam, sed non omnis inquisitio est deliberatio, ut inquisitiones mathematicæ, physicæ. *In mathematicis, an dimetiens linea lateri sit commetiens, id est proportione æquiparabilis: & de æternis, an sol globus sit: & id genus cætera, de quibus nulla consultatio est.* Ita iterum Eustratius.

XXIII.

Si autem inquisitione & deliberatione institutâ incidamus in aliquo, quod fieri nequeat, ab eo desistendum est, sin id offeratur, quod fieri posse videatur, actioni manus est admovenda, idque fieri posse dicit Philosophus vel per nosmet ipsos vel per alios: Fieri autem posse dicuntur ea, quæ per nos effici possunt, sive à nobis ipsis, sive à nostris, liberis, amicis, servis expediri queant. Nam & hæc quodammodo per nos fiunt, siquidem principium in nobis positum est, ut per nostros illa agantur.

XXIV.

Quod probè hic observandum est, in deliberatione etiam quæri interdum de ipsis instrumentis agendi comparandis, interdum de eo, quomodo repertis sit utendum: sic etiam in reliquis ad finem requisitis, interdum per quem, interdum quomodo, aut quâ viâ res expediri queat, inquirimus. De quibus verba apud Philosophum hæc

hæc sunt : *Quærentur autem aliquando instrumenta, aliquando eorum usus, itemque in reliquis interdum per quid, aliquando quomodo, aliquando cuius operâ res expediri debeat.* Hæc illustris commentator Eustratius sic illustrat: *Ita medicus ad aperriendum abscessum, medicamentumne, an incisionem adhibeat, deliberans, quo instrumento ad id uti debeat, deinde ubi de instrumento satis constiterit, usus ejus inquiritur: si scalpello secandum esse censeat, quâ formâ, & quâ altitudine plaga sit adigenda. Simili modo de medicamento considerat, quale & quantum: tum quo modo affecto homini & quâ ratione exhibendum sit.*

XXV.

Ex his manifestò constat, hominem esse actionum suarum principium & consultationem de iis rebus esse, quæ ab unoquoque agi possunt, illasque actiones, de quibus deliberatur, aliarum rerum causam esse & finem aliquem respicere. Quinimo & illud manifestum esse existimamus, quarum rerum sit *περὸς αὐτῶν*. Nam id, de quo deliberamus, & id, quod præ aliis eligimus, una eademque res est, hoc tamen discrimine intercedente, quod posterius jam decretum, definitum ac judicatum sit, prius verò minimè. Quod enim ex deliberatione præ aliis statutum est, id *περὸς αὐτῶν* sive præ aliis electum est. Nam dum quisque definit deliberare, & quid, quomodo agendum sit, amplius inquirere cum eo est perventum, ut jam in ipso deliberante principium agendi positum sit, cumque homo, ad id, quod in ipso principatum obtinet, & reliquis præest ac imperat, mentem scilicet, & intellectum practicum rem deduxerit. Intellectus practicus enim est, qui unum præ altero eligit; atque tùm nihil amplius superest, quam ut

C agendi

agendi fiat initium. Hæc in gratiam lectoris verbis Eustratii rursus clariora reddimus. Sic autem ille : *Quod namque consultamus, in dubio adhuc res est, & indefinita : cum eligimus verò, statuimus ac desinimus quid agendum sit, ac tum demum consultare desistimus, cum in nos ipsos principium reduxerimus, id est, cum invenerimus principium aliquod rei illius agendæ, de qua consultamus quod in nostra potestate fuerit, nosque ipsos esse posse illius rei agendæ causam in nobisque agendi facultatem esse cognoverimus : neque solum in nos ipsos reduxerimus, sed in eam etiam nostri partem, quæ principatum obtinet, id est, mentem, intellectumque activum. Ubi enim intellexerimus agendum nobis id esse, quod mens consultavit & elegit, una cum ratione appetitio quoque incitatur, ac desinit debeat.*

XXVI.

Ut hæc uno atque altero exemplo illustremus : In veteribus Rerum publ. formis à Regibus prius deliberata & decreta sive electa populo renuntiabantur. Ita Agamemnon Græcorum dux cum prioribus Græciæ consultare solebat de rebus dubiis & magnis, & cum demum elegisset, quod factu optimum esset, tum populo proponebat, ut id populus executioni mandaret, quod ille cum proceribus convocatis ex longa deliberatione elegisset. vid. Homer. lib. II. Iliad. Apud Romanos Regibus statim exactis solebant senatores agitare in senatu, quæ è Republica essent, & demum decreta aut Senatusconsulta facta ad concionem referre, testante Dion. Halycarnasæo lib. VII.

XXVII.

Est igitur deliberatio inquisitio alicujus, quod ad finem

nem consequendum facit, quodque in nostra vel nostrorum
potestate, ut fiat, positum est. Cum autem $\pi\epsilon\gamma\alpha\upsilon\pi\epsilon\tau\omicron\iota$,
sive: quod idem est, præ aliis electum sit idem illud, de quo
deliberatum est, quodque cum in nostra potestate situm
sit, ut optimum appetivimus. $\Pi\epsilon\gamma\alpha\upsilon\pi\epsilon\tau\omicron\iota$ erit appetitus ea-
rum rerum, quæ in nostra potestate sunt ex deliberatione
proveniens. Appetitus autem dicitur, quia postquam de-
liberatione adhibitâ quid optimum judicavimus tamen se-
cundum factam deliberationem illud appetimus. Quod
in transcurso hic notari volumus. Appetitus hic intelli-
gitur non sensitivus, sed rationalis, hicque non ille, qui fi-
nem appetit, sed ille, qui ea, quæ ad finem
faciunt, expetit.

TANTUM HAC VICE?

*Virtutum calcare viam, sic impallescere doctis
Artibus, id pulchri nominis omen habet.*

*Virtutum calcare viam, sic impallescere sanctis
Artibus, id sancti nominis omen habet.*

*Dum facis hoc Kochi passim & vestigia signas
Indiciis doctis, indicibusque probis.*

*Quod tumet Autumno maturis nectar in uvis,
Ante diem ingratus succus, & asper erat.*

*Quid fuit ante, seges, nisi spes & inutile gramen?
Tempore proveniunt vina, segesque suo.*

Ita


Pio & Docto Domino Respondenti
benevolo affectu gratulatur
PRÆSES.


NON amat virtus tacitis latere
Angulis, verum rediviva densis
Emicat sensim tenebris, & auras
Quærit apertas
Nec finit fidos malè fida alumnos
Serpere obscuros per humus recessus;
Æmulo verum studio ad suprema
Pergere svadet.
Hujus exemplum, ecce, probas, Amice.
Quando quæ dudum ingenio imbibisti,
Publicè ponis benè disputanda, &
Illa tueris;
Grator hos ausus tibi, Amice; perge
Et Stagyritæ didicisse scripta
Et simul doctis ea disputanda
Pone in arenis.

Ita gratulatur

JOHANN CONRAD Steurwaldt.










W2





Flb 5320

8

ULB Halle 3
003 615 189




56.

Retro ✓

VD 77

[Handwritten signature]







EXERCITATIO MORALIS ^{an 2}
DE
PRO ÆRESI
Actionum Moralium Principio

QUAM
DEO ADJUVANTE
Permissu Amplissimi Philosopho-
rum Ordinis in Illustri Julia
PRÆSIDE
M. HENRICO ALTO

publicè tuebitur
JOHANNES ROCH AULICENSIS
Autor & Respondens
IN JULIO MAJORI
Ad diem xi. Aprilis. 3

✿(o)✿
HELMEST AD II,
Excudebat HENNINGUS MULLERUS
ANNO MDCLXIII.